

1568 ducebantur ; Rupellam paulo ante pacem occupatam , ad oceanum fitum magni momenti oppidum , tuebantur . Ex iis complures , Rege minime adfentiente , ad Araufionensem Principem transibant , qui a Philippo Hispaniarum Rege desciverat , armaque adversus Albanum Ducem comparabat . Multa quoque præteritarum dissensionum semina exorta , ex quibus tertium civile bellum in Gallia initium sumpsit . Santones , Pictavos fœderati occupant ; copias undique cogunt ; toto fere regno tumultuantur . Rex bellum denuo indicit ; edicto , ne qua religio , præter catholicam , publice exerceatur , cavet ; omnes concordiae leges perosus , quam maximas potest copias parat ; amicorum Principum auxilia implorat ; literas ad Senatum dat , quibus , ut iis , quæ suo nomine Foxius legatus gravissimis de rebus ageret , ea fides , quæ sibi præfenti haberetur , Patres præstarent , petit . Foxius Principem , Patresque , Decemvirum Magistris adstantibus , in hanc sententiam est allocutus .

*Bellum in Gallia iterum exoritur .*

*Carolus Rex , ne qua religio præter catholicam publicam in Gallia exerceatur , cavet .*

*Foxii , Regis Galliae ad Venetos legati , oratio .*

*Ingentem dolorem , ad quem in Christianissimum Regem , atque in patriam amor , & pietas impellunt , vix cobibere queo , Princeps Serenissime , Patres amplissimi . Jam enim tertio post alternas Galliae clades civile bellum erumpit ; tempestates , ac procellae , quæ consedissee videbantur , resurgunt ; graviorique ægritudine conflictatum , amplissimum regnum corripitur ; capite laborante , membra reliqua ad ejus salutem , atque incolumitatem certatim accurrunt . Republica seditionibus exagitata , cuncti ordines in illius exitium , ac perniciem conspirant . Inde civium , ac populorum in se arma conversa , interneciones , urbium excidia , provinciarum vastationes , humanorum omnium , divinorumque eversionses , florentissimo , ac potentissimo Galliae Regno , nisi Dei Optimi Maximi auxilium præsens sit , imminere jam ac impendere , incredibili animi dolore , cernimus . Carolus , uti clementissimum patrem decebat , hactenus aberrantes filios lenitate , ac clementia flectere adnixus , arma juste in eos conversa , vagina recondidit , quæ deliquerant , magnanimitate oblitus . Omnia secus ac speraverat cecidere ; clementia audaciam peperit ; criminum impunitas ansam peccandi fecit ; nullo non scelerum genere perditii homines debaccabantur . Eo ventum est , ut non lenioribus remediis , sed ferro , atque igne ad eam depellendam pestem , quæ brevi universam Galliam*

*corre-*